

talium Professore, Matheſeos ac Linguae hebraicae fundamenta jecit. JOHANNEM PHILIPPUM JUNCKERVM, linguae graecae ac Poëſeos Profefſorem, literarum graecarum praecepta tradentem, audiuit. In cuius abeuntis locum quum JOHANNES FRANCISCVS BYDDEVS ſufficeretur, ut graecam & latinam linguam profiteretur, hujus quoque ſcholas noſter frequentauit. Et quanquam ſacrarum literarum ſtudio ſeſe conſecrauerat; juris tamen ciuiliſ ſcientiam ductu JOHANNIS ERNEſTI BAHNII, J. V. L. & P. P. attingere conſultum duxit. Domestica imprimis exercitatione atque induſtria ad magnam ſuam vtilitatem ſemper cum graecis latina conjunxit, & vtramque linguam ſic excoluit, vt pro aetatis ſuae ratione par fuerit in vtriuſque orationis facultate. Ad proficiendum autem hoc melius domi in literis magnum attulit adiumentum Verpoortennio noſtro, qui vix nouennis optimo parente orbis euasit, frater ipſius nati maximus, ALBERTVS MENO, celeberrimorum noſtrae aetatis Theologorum nemini virtute ſecundus, eo praefertim tempore, quo ex Academia Gieſſenſi reuerſus Coburgum ſe appulerat. Hic enim & ſcientia fratrem auxit, & exemplo.

Nec